



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XLII. Opes Ecclesiarum magnas religioni & politiæ vtilis esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

Christi patrimonio splendidi esse volunt, & ob hunc splendorem, indignum suae dominationi, nobilitati, spectabilitati arbitrantur, si Christo, à quo pascuntur, seruiant.

Lex 13. Concilii Basileensis sess. 31. decreta feruentur, quae salutaria, & multa in eo legantur.

Lex 14. Omnes praebendae cathedrales habeant annexum ordinem maiorem. Quod iam fere in omnibus obtentum est, cum ad consilium, siue capitulum admittuntur.

Lex 15. Cathedrales Episcopo subiaceant quoad censuram morum, alioqui eorum iurisdicção, bonorum administratio intacta illis relinquatur. Qua de re supra dictum est.

Lex 16. *Quicumque*, (Concil. Basileens. sess. 21. de his qui tempore diuinorum vagantur per Ecclesiam) in Ecclesia beneficiatus, praesertim de maioribus, diuinorum tempore per Ecclesiam vel foris circa ipsam deambulando, aut cum aliis colloquendo, vagari visus fuerit, non solum illius hora, sed totius diei praesentiam ipso facto amittat. Qui si semel correctus, non destiterit, per mensum distributionibus careat, vel grauiori (si perinacia exegerit) poena subiaceat, ita ut tandem desistere cogatur. Prohibeatur etiam, ne diuina officia tumultuosi quorundamque per Ecclesiam discursus impediunt, aut perturbent. Regulares qui in conuentualibus ecclesiis circa praedicta excesserint, graui superioris arbitrio castigantur.

Lex 17. Non sunt elocanda beneficia.

Quoniam enormis quaedam consuetudo in quibusdam locis contra sanctorum Patrum constitutiones inualuit, ut sub annuo pretio sacerdotibus ad Ecclesiarum regimen constituantur: id ne fiat, modis omnibus prohibemus. Quia dum sacerdotium sub huiusmodi mercede venale disponitur: ad aeternam retributionis premium consideratio non habetur.

Lex 18. Annatis non grauanda, multo minus pensionibus, reservationibusque. Extenuant enim fructus beneficiorum, ut cum maxime egent clerici, frui illis non possint.

Lex 19. Nō diuidenda, nisi ubi ingentes redit⁹ pro vno, tenues pro reliquis. Multis quoque monet Alexāder 3. vniplura beneficia non cōmittenda, nec vnum inter plures diuidendum. in app. Lateran. 3. parte 30.

Lex 20. Turnorū licentia omnino corrigatur, ut est in sess. 24. Trid. c. 14. Imo omnes Turnarii iurent, se legē (quae est 8. q. 1. *Moses*) seruauituros, & in beneficio potius vitā meritum, quam consanguinitatis gradū spectauituros; nunc crebro viri boni, quantum Ecclesiae vitā sua aedificant, tantū agnatorum vitis destruunt.

Deniq; ad Dei gloriam hac dirigenda sunt, neque beneficia habenda, ut dona principum, aut patrimonialia, aut quasi tantum sint ad iuuentutis, aut nobilitatis alimenta à maioribus fundata; Nam omnes patres, concilia, canones, omnium foundationum diplomata, iuramenta canonicorum, statuta capitulorum, conscientiae improborū diuersum omnino clamant. Testanturq; beneficiū dari propter officium: & tum demum iure fructus retineri, si in diuino obsequio seduli sint, & frequentes.

CAPVT XLII.

Opes Ecclesiarum magnas Religioni, & Politiae viles esse.

§. 1. SACERDOTIVM Deus in veteri lege honoratum esse voluit, quod decimae concessae ditissimum fecerunt, alia quoque tam multa adiuncta fuerunt, ut si legem Dei seruassent Iudaei, nulla fuisset tribus felicior Leuitica. Rem facili methodo ob oculos ponam. Numerorum 3. Leuitae recensentur viginti duo millia trecenti, quancūq; enim v. 39. tantū dicuntur viginti duo millia, singulares tamen summae 7500. & 8600. & 6200. efficiunt 22300. At trecenti omittuntur quia primogeniti erant, nec redimere alios poterant. Numerus autem filiorū Israel erat sexcenta tria millia quingenti quinquaginta. E-

rant igitur Leuitae respectu totius Israelis, pars quāsi vicecima sexta. Verū quia c. 3. num. Leuitae numerantur ab vno mense & supra, reliquarum vero tribuum c. 2. tantum viri pugnatores ab anno militari, hinc consequitur, filios Israel, si ab vno mense numerati essent, maiore proportionē superaturos fuisse, maximus enim puerorum numerus erat in gente, quam Deus cum Pharaone pugnans multiplicabat. Itaque nemo negabit Leuitas partem Israelis trigessimam non fuisse. At huic parti Deus maximas opes contulit, ut ceteros praes his pauperes quāsi reliquerit.

Huic tricesimae parti Deus dedit non tricesimas, sed decimas. Cum autem abunde victus ceteris supereditaret, certe decimae abundantis populi, decimae parti sufficere potuerunt, at iam Leuitarū quisq; tres pro vna partes tenebat. Ita Leuit. 17. 30. Omnes decimae decimae, siue de frugibus, siue de pomis arborū domini sunt, & illi sanctificantur. Si quis autem voluerit redimere decimas suas addet quintam partem earum. Nec decimae frugum duntaxat, sed boum quoq; & ouium, ut ibidem habetur. Sic Num. 18. 21. Filii Leui dicit se dedisse omnes decimas.

Verum in decimis hoc quoque considerandū. Primo, Leuitas nec agros colere solitos, nec vineas, itaq; de labore populi viuēbant. Hinc multo melior fuit eorum conditio, quam si decimam agrorum partem acceperant, labore enim & impendio opus fuisset. Secundo. Pecora educanda erant Israelitis, Leuitae iā ablactata recipiebant. Tercio. Nec simplices erant decimae, sed triplices ut doctissime interpretatur noster Cornelius à Lapide in c. 14. Deut. v. 22. Ex hoc loco & ex Iosepho colligit Theod. hic quest. 13. Abul. Oleast. & Caiet. du-

plices decimas Iudaei quotannis fuisse praescriptas. Prima erant omnium frugum terrae, gregum & armentorum, quae tota dabantur Leuitis; neg. ferebatur in Ierusalem, sed Leuitae ad quos decimae Leuitis datae. ea pertinebant, colligebant eas per ciuitates sibi vicinas. ex hisce decimis, Leuitae rursum decimā pendebant Pontifici & Sacerdotibus, ut patet Num. 18. 26. & 28. ibi enim agitur de primis hisce decimis. Secunda decima erant illae quas quotannis Hebraei separabant, post primam illam dictā decimationem, ex nouem residuis sibi partibus accipiendo decimam, ut ex ea, euntes ad tabernaculum (quod ter in anno faciendū erat, ut patet Exod. 23. 17. & cap. 34. 23.) partim in itinere viuerent, partim offerrent hostias pacificas, de quibus comederent coram Domino, vna cum Leuitis quos ad epulandum secum inuitabant. quod dixi de decimis hisce, idem dico de primitiis: quia post primitias quae tota cedebant Domino separabat sibi quisque aliquid, tantūq; primitias secundas, quibus vteretur ascensurus ad Dominum. Idem dico de primogenitis ouium & boum, videlicet post primogenitum Deo datum, Hebraeos separasse aliud animal in hostiam pacificam. idem dico de potis & donariis. De hisce ergo secundis decimis loquitur hic lex, vsque ad v. 28. de hisce etiam egit c. 12. 17. Tertia decima erant decimae, quae singulis trienniis separabantur, & dabantur pauperibus, viduis, pupillis, & Leuitis in modum elemosinae, ne ipsi ob paupertatem cogerentur seruire gentilibus à quibus facile induci potuissent ad idololatriam. De tertiis hisce decimis agitur v. 28. ubi dicitur: anno tertio separabis aliam decimam. Vnde patet, hanc non eandem fuisse decimam cum prima, quāsi decima quae duobus annis Leuitarum erant propria, tertio anno iubeantur esse communes pauperibus aequae ac Leuitis, ut aliqui volunt; sed fuisse aliam, scilicet tertiam. ita enim vertit noster interpret. ita de Tobia dicitur cap. 1. v. 7. quod in anno tertio profelytis & aduenis ministraret omnem decimationem. Si Iudaei triplices, quidni Christiani vnas & simplices Deo dent decimas? Si Iudaei decimis suos alebant pauperes, quidni idem faciant Christiani? noui viros in republica magnos qui opum suarum imo omnis lucri sui decimas dant pauperibus, & ad id lege charitatis & religionis putant se quāsi obstringi.

Primae igitur decimae integre cedebant Leuitis, quas in urbibus colligebant. Ex nouem residuis partibus iterū decimas separabant, easq; vel precii conferebant Ierolymā, ut ibi epularentur, inuitatis tamen Leuitis, ita enim c. 14. 27. & 28. Et epulaberis tu, &

Sacerdotiū
Leuiticum
ditissimum.

Leuitae
22300.

domus tua; Et Leuitis qui intra portas tuas est; cauene delinquas eum, & : Erant igitur ea tempora conuiuiorum Leuitis, sed nec graue Israelitis hoc erat, cum decem viri, & forte triginta vix vnum haberent. Tertio anno ex bis decimatis alia decima domi separabant, quam cum Leuitis & pauperibus consumebant, ibantque tertio anno Leuitae epulatum, instructumque populos, ut hoc modo domino iungerentur. Effectus apparet 2. par. 31. 8. vident acervos, & dixit Azarias sacerdos v. 10. Ex quo ceperunt offerri primitiae in domo domini, comedimus, & saturati sumus, & remanserunt plurima, eo quod benedixit dominus populo suo, reliquiarum autem copia est ista, quam cernis. Itaque tum facta sunt horrea. Atque haec de decimis.

Copia Leuitarum.

Oblationes.

§. 2. Oblationes quoque eos reddebant diuites. Nam ex sacrificiis sacerdotibus dedit pectusculum, & armum qui separabatur iure perpetuo, Leu. 10. 14. non potest reditus ille paruus videri inter tot millia sacrificiorum, quae ter in anno statim temporibus offerebantur, quaeque in singulos dies ob varias causas immolabantur. Deut. 18. 3. armum & ventriculum tribuit. Sed totum hoc genus videamus. Tria erant sacrificiorum genera, holocausta, pro peccato, pacifica. In holocausto omnia exurebantur, & sola pellis erat sacerdotum, qui tamen in tot millibus holocaustorum non erat paruus reditus. In pacifica victima armus & pectusculum, in Heb. Chald. 70. armus, genae, ventriculus; quod quidam interpretantur partes carneas quae sunt circa armum, id est quarta pars animalis, sed expresse est in ventriculus, & maxilla. utcumque sit, magnus est reditus: sed maior, cum facerent pro peccato, illius enim victimae tota caro erat sacerdotum, ut in tanto populo ex solis victimis viderentur posse viuere, sed erant haec addimenta quasi decimarum. Porro in victimis pacificorum non fuisse Israelitas in sacerdotibus parcos historia filiorum Heli demonstrat, 1. Reg. 2. 16. Dicebatque illi immolans. Incendatur primum iuxta morem hodie adeps, & tolle tibi quantumcumque desiderat anima tua, quod de holocausto non potest intelligi, quia nihil inde cedebat sacerdoti, nec de hostia pro peccato, quia tota erat sacerdotis, sed de pacificis.

Primitiae. primogenita.

Huc omnium rerum primitiae, & primogenita pecorum, ac hominum referuntur. De primitiis Ex. 23. 19. & 34. 26. Leu. 23. 10. Num. 18. 13. Deut. 18. 4. & 26. 2. 10. de primogen. Exod. 13. & 22. 29. & 34. 20. Num. 3. 13.

Magna erant ex omnium rerum primitiis in fertilissima regione compendia, cum frugibus omnis generis, vino, oleo, pomis, melle omnia abundarent. Primogenitorum ingens erat numerus, nam solus Ezechias 2. Par. 31. 29. habebat ovium & bouum greges innumerabiles. Nabal habebat oves tria millia, & mille capras. Salomon mactauit bouum 22000. & ovium 120000. nec tamen id magnum aut difficile fuit tanto regi. nam habebat 3. Reg. 5. 26. quadraginta millia equorum curtilium, & duodecim millia praefectorum, si ad vnum praefectum deni equi, ingens numerus. Imo & si quatuor.

Ingens reditus ex sacrificio pro delicto.

Maximi itaque pecorum greges erant in Israel, ita ut dominus Ezech. 36. 11. promittat quasi antiquae felicitatis reditum; Replebo vos hominibus, & iumentis. nam erant & in cultis urbibus greges iumentorum, aut in suburbanis: constituamus itaque in numerosissimo populo quotannis nasci centum millia primogenitorum, conferebant quingenta sistorum millia sacerdotibus, num. 3. Pecorum tanta erat multitudo, ut in singulos annos facile decies centena millia primogenitorum fuisse putem. His adde tot sacrificia, pro variis delictis, Leuit. 3. deinde si tetigissent aliquid immundum, offert agnam, seu capram &c. Leu. 5. at quoties hoc contigisse verisimile est? & Leu. 5. 17. Si ignorans legem violasset, arietem offerre iubetur, quid si singulis annis semel singuli rei fuissent? quot centena millia Arietum

sacerdotibus cederent? Qui depositum negauit, arietem offert Leu. 6. 6. mulier pro purificatione agnum anniculum in holocaustum. Leu. 12. Pro peccato scortationis cum ancilla, postquam vapularunt ambo, aries. Leu. 19. offerendus erat.

Accedit & illud quod nullum holocaustum sine victima pro delicto offerebatur, deinde quod lagana, similiaque conspersa oleo offerenda simul essent cum aliis sacrificiis, & panes, ita de pacificis, Leu. 7. 12. Haec magna erant praefidia viuendi sacerdotibus concessa, ut legi vacare, & sanctuario possent 2. Par. 31. 4.

§. 3. Praeterea tamen alia quoque assignata erant; nam hereditates suis in urbibus retinebant. Leu. Deut. 6. Deinde domus Leuitarum alienari non poterant. Leu. 25. 31. Tertio, Iudices constituuntur 2. Par. 29. 13.

Imo summi sacerdotis praecipua erat dignitas in iudicando. Cum enim sacerdotes & Leuitae immunes à ceteris laboribus essent, tempus in studium legis, & sapientiae conferre poterant, ideo ab ore eorum legem requiebant.

Aliorum immunes legi studere poterant.

§. 4. Tantis opibus postquam eos dominus instruxit, quia ipse erat hereditas eorum, etiam de habitatione prouidit. Iosue enim locum illis assignauit, quem admodum Deus iusserat Num. 35. 1. Haec quoque locutus est Dominus ad Moysen in campis Moab supra Iordanem contra Iericho: Praecepit filiis Israel, ut dent Leuitis de possessionibus suis urbes ad habitandum & suburbana earum per circuitum: ut ipsi in oppidis maneant, & suburbana sint pecoribus ac iumentis: quae à muris ciuitatum forissecus, per circuitum mille passuum spatio tenduntur. contra Orientem duo millia erunt cubiti, & contra Meridiem similiter erunt duo millia: ad mare quoque, quod respicit ad Occidentem, eadem mensura erit, & Septentrionalis plaga aequaliter terminetur, eruntque urbes in medio, & foris suburbana.

Suburbana Leuitarum.

Statuamus itaque urbes 48. pro 24000. Leuitarum, ut in singulis sint quingenti, & in circuitu mille passus pro iumentis in tam fertili solo, non debet videri parua pars sustentationis; Eratque hoc magno illis commodo, quod fœni quoque decimas ex vicinis locis reciperent, omnium enim quae tellus ferebat decimas capiebant. Quamquam autem non soli Leuitae habitarent eas ciuitates, tamen ipsis datae erant, & in ditione eorum, id quod toties Iosue 21. scriptura inculcat. Nam v. 10. Filiis Aaron per familias Caath Leuitici generis (prima enim fors illis egressa est) Cariatharbe patris Enac, quae vocatur Hebron, in monte Iuda, & suburbana eius per circuitum. Agros vero & villas eius, dederat Caleb filio Iephone ad possidendum. Dedit ergo filiis Aaron sacerdotis Hebron confugii ciuitatem, ac suburbana eius: & Lobnan cum suburbanis suis: & Iether, & Estemo, & Holon, & Dabir, & Ain, & Ieta, & Bethsames, cum suburbanis suis: ciuitates nouem de tribubus, ut dictum est, duabus.

Deinde in suburbanis non tantum erant prata, intra mille passus, sed vinea, oliueta, aliaque, & horti. Tertio ciuitates illae nobiles erant, fecundoque loco.

Hebron,
Lobna,
Iether,
Esthemon,
Holon,
Dabir,
Ain,
Ietha,
Bethsames,
Gabaon,
Gabaë,
Anathor,
Almon,
Sichem in monte Ephraim,
Gazare,

Cibsam,
Bethoron,
Eltheco,
Gabatan,
Aralon,
Gethhemmon,
Thanach,
Gethremmon,
Gaulon,
Bofan,
Cefion,
Daberech,
Iaramoth,
Engannim,
Masal,

Abdon,

Abdon,
Helcath,
Rohob,
Cedes,
Hammothdor,
Carthan,
Zabulon,
Iecnan,
Cartha,
Darma,

Naalol,
Rammoth in Galaad,
Manaim,
Hefebon,
Iazer,
Bosor,
Misor,
Iazer,
Iethson,
Mephaat.

Omnis Re-
publica ad
normam di-
uinam in-
stituenda
est.

Prospici di-
gnitatis de-
dit Ecclesia
Deus.

Audis Le-
uitas audis
& filii
Israel.

Diuitia Le-
uitarum
tempore
Dauidis.

Leuitarum
exiguus la-
bor.

Leuita pre-
fides, & iu-
dices.

Quæ pleraque locis opportunissimis, fertilissimis, saluberrimis sita fuere, ut videri possint solæ alendæ multitudini sufficientes. Si igitur æterna sapientia instituens Rempublicam, optimis legibus eam fundauit, omniaque quæ ad virtutem, felicitatemque temporalem ciuium, & magistratuum prudentissime, & sanctissime sanxit. & tamē tantas opes sacerdotibus suis contulit, ut fere vni plus quàm ceteris quinis aut senis cōtulerit, non deest humanā politiam aliter sentire, & religionis antistites, sacerdotesque, vagos, & mendicabula fingere. Nō est arctior inter magistratū & subditos nexus, quam timor Dei, & religio, illa autē florere non potest, nisi cū eius ministri & præfules in honore sint. Cum enim salus & religio subditorum pēdeat ab Episcoporum, & pastorum dignitate, noluit Dominus illos despici. Dictum est in veteri testamento non alligabis os boui trituranti, dictum est de Aaronicis sacerdotibus, dictū est teste Paulo de Christianis, quibus & ius est de Euangelio viuendi. Nam si nostram Rempublicam cum Iudæorum populo cōparemus, quantum terminos eorum breuiiores cernimus, tanto maiores cleri esse opes intelligemus.

Non ignoro deinceps numerū Leuitarum auctum esse, nam 1. par. 23. 3. numerati sunt 38000. à triginta annis & supra, sed maiore proportionē creuerant filii Israel. Dauid n. per menses duodecim statuit duodecim principes, quorum quisque 24000. habuit sub signis, & ministrabat regi. Et 13. Reg. 24. 6. de Israel fuisse octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladium, & de Iuda quingenta millia, inter quos non est numeratus Benjamin, sed nec illa numeratio fuit perfecta, 1. par. 27. 24. Iob enim inuitus imperium regis exequabatur. Hic ingentem multitudinem considerare libet. Nam prope trecenta millia in armis erant, & ad seruitium regis, & illa decies & ter centena millia fortium virorū, & gladios educentium erant, & pugnatorum, quāta igitur multitudo adolescentū puerorum, senum, aliorumque, qui bello idonei nō erant? Ego vero sic statuo Dauidem ex hisce suis militibus 280000. additis illis q. agris, oliuetis, vinetis, pascuis regis seruiebant tantū numerum confecisse, ut ex decimis, & oblationibus Leuitas facile alerent. Sed cōditionem Leuitarum tēpore Dauidis consideremus. Erant ter & decies centena millia Israelitarum negligenter numeratorū, adde tribum Benjamin erūt forte 140000. adde emeritorum 100000. ut conficias 150000. Illi si dent decimas triginta hominum millibus, habebit quisque recipientium decimas, quinque partes, quibus superabit eos, qui decimas contribuūt. Magna igitur semper fuisse diuitiæ Leuitarum.

Pro diuitiis, erat labor exiguus; Dauid ordines eorum instituit, per vices 24. ut exiguo tempore in templo occuparentur. Interea variis se negociis occupabant. Imo eorum opera vsus est Dauid, 1. par. 26. 28. Isaacitis vero præerat Chonenias, & filius eius, ad opera forissecus, super Israel ad docendum, & iudicandum eos. Et v. 30. Hebronitæ mille septingenti præerant Israeli trans Iordanem ad occidentem, in cunctis operibus Domini, & in ministerium regis. Et v. 32. Fratresque eius robustiores ætatis, duo millia septingenti principes familiarum. Preposuit autē eos Dauid rex Rubenitis, & Gadditis, & dimidiat tribui Manasse, in omne ministerium Dei, & regis.

Ecce tribus illas Transiordanianas regunt Leuitæ tempore Dauidis; Israelitæ etiā ad occidentem à Leuitis reguntur in omni negotio diuino, & humano. Certe Banaias sacerdos vnus est è duodecim principibus. Cur vero Dauid regnandi peritissimus, & regnans inter fratres suos Leuitarum opera præcipue vsus est? Causas inuenio complures. Prima, quia legum diuinarum, & humanarū periti erant. 1. par. 25. doctores sunt ex iis 288. qui docebant Canticū Domini. Altera, quia sanctiores, & legum tenaciores erāt. Tertia, quia illis maxime proderat Israelitas esse iustos, & religioni deditos. Si enim auaritia tenerentur, primum omnium decimis primitiisque, fraudarent Leuitas; sacrificiosis peregrinis adhererēt, si Idololatræ fierēt. Hinc mox positus vaccis in Dan; & Bethauen, Leuitæ in Iudæam confugere. Quarta, quia cū nec agros colerent, nec vineta, aliisque oneribus immunes essent, semel in anno in templo ministrarent, vtilissime occupari in honoratis regni negociis potuerunt. Dauidis igitur sapientissimi illa sententia fuit, rempublicam populi Dei per sacerdotes & ministros Dei optime administrari.

Quam vero tribui illi honorificæ fuerint, quamque viles tot præfecturæ, præsertim, cū sui generis regem non haberent, nemo nisi politices ignarus ignorare potest. Vsus est vero Dauid eorum fidelissima opera; Banaias etiam erat fortissimus inter triginta, & super triginta erat, 1. par. 27. 6. Et illa 24. millia, quibus imperabat sine dubio de Leuitis erant. Banaiam sacerdotē fidiorem Dauid expertus est, quam Ioab agnatū, id eo & illi Banaias interfecto successit. Nam reuera regni, & sacerdotiū res ita coniunctæ sunt, ut vna sine altera seruari non possit. Improbataque & insipiens est eorum sapientia, qui Christianū sacerdotium ita superprimendum censent, ut omnibus obnoxii sint, qui omnes docent, ut sint contemptibiles qui cultum Dei, sacrificium sanctum, caeremoniarum dignitatem tueri debent. Sacerdotum diuitias diuina auctoritate probaui, atque ex factis literis, virorum etiam sanctorum in nouo testamento sententiam adferam, & ipsa ratione conuincam.

§. 5. Diuitias primogenia Ecclesia sat amplas habuit, nam & eos qui Euangelium annuntiabant, de Euangelio viuere iuris diuini, & naturalis esse sciebant Christiani, nec magnum esse iudicabant ab illis carnalia sua meti, à quibus spiritualia acciperent. Neque sane viros sanctissimos, qui ad pedes Apostolorum omnia deuiciebant, qui stantes super collum Pauli abeuntis incumbabant, qui etiam oculos suos eruere, & dare Paulo volebant, quibus gentium doctor acclamatur. Habeo autem omnia, & abundo, & repletus sum, acceptis ab Epaphrodito, quæ misistis odorem suauitatis, hostiam acceptam, placentem Deo, hos inquam auare maligneque Apostolis & successoribus victum suppeditasse nemo prudens credit. Nam Christianorum in Ecclesiam dona liberalissima fuerunt, atque amplissima, ut non modo eius ministri, & pauperes alerentur, sed ipsa insuper supellex preciosa inter persecutiones, & rapinas splenderet: ex vita S. Laurentii aureis scyphis sacrum sanguinem exceptum docemur, Augustinus Epist. 265. ostendit argenteas lucernas fuisse, vasa Ecclesiæ magni precii fuisse discimus ex Optato contr. Parmenianum l. i.

Possessiones Ecclesiarum fuisse iam ab antiquissimis temporibus certum est. Pius i. Ep. 2. qui decimus, vel vndecimus post Petrum fuit, sub Antonino, cum itaque senex fuisset, Ioannem Apostolum nouisse poterat, monet ne prædia Ecclesiæ humanis vilius applicentur.

Ad sedem autem Apostolicam perlatum est, quod sint inter vos contentiones & amulationes: Et prædia diuinis vsibus tra-

Q. 4 dita,

Principes
belli erant.

Doctores
288. ex Le-
uitis.

Sententia
Dauidis de
regno.

Sacerdotiū
regno tum-
tum res
firmissima.

Christiani
in primæua
Ecclesia li-
beraliter
suis alebat.

Primitiua
Ecclesiæ di-
uites.

Prædia
Ecclesiæ sa-
crabantur.

dita, quidam humanis applicant vñbus, & Domino Deo (cui tradita sunt) ea subtrahunt, vt suis vñbus inferuiant. Quapropter ab omnibus illius usurpationis contumelia depellenda est, ne pradia vñbus secretorum celestium dicata, à quibus irruentibus vexantur. Quod si quisquam præsumpserit, sacrilegus habeatur, & sicut sacrilegus indidetur. Ipsos autem qui hoc agunt, clericos, & Domini sacerdotes persequi, eosq; infamare audimus, vt malum super malum addant, & deteriores fiant, non intelligentes quod Ecclesia Domini in sacerdotibus consistit, & crescit in templum Dei: & sicut qui Ecclesiam Dei vastat, & eius pradia & donaria expoliatur, &c. Itaq; nihil contra legem Dei agunt, qui bona Ecclesie tradiderunt, quod & in veteri testamento vñ venit, vt constat ex Leuit. 27. 14. Homo si vouerit domum suam, & sanctificauerit Domino, considerabit eam sacerdos vñ bona an mala sit, & iuxta pretium quod ab eo fuerit constitutum, vendabitur: si autem ille qui vouerat, voluerit redimere eam, dabit quintam partem estimationis supra, & habebit domum. Quod si agrum possessionis sue vouerit, & consecraverit Domino: iuxta mensuram sementis estimabitur pretium: si triginta modis hordei feritur terra, quinquaginta siclis vendatur argenti. Si statim ab anno incipientis iubilii vouerit agrum, quanto valere potest, tanto estimabitur: si autem post aliquantum temporis: supputabit sacerdos pecuniam iuxta annorum, qui reliqui sunt numerum vsque ad iubileum & detrabatur ex pretio. Quod si voluerit redimere agrum ille qui vouerat, addet quintam partem, &c. Itaq; & nos videmus Christianos diuitiarum & vitæ contemptores in bonis Ecclesie cōseruandis fuisse vehementes, & pene contentiosos, quia bona Christi sunt, bona pauperum sunt.

*Prædiare-
stituta Chri-
stianis.*

Hinc Constantinus, aliiq; restitui iusserunt. Verba legis sunt: At quoniam Christiani non solum ea loca, in quæ conuenire solent, sed etiam alia habuisse cognoscuntur, quæ non priuatim ad singulos sed ad iustitiam ipsorum communitatis, id est, Christianorum spectabant, singulis, qui ea possident, mides velim, vt omnia per legem, quam supra posuimus, absq; vlla controuersia Christianis, id est, societati ipsorum, & conuentui reddant. Et ad Anullinum. Quare volumus vt simul hæc literas à nobis acceptis, si quæ ex his possessionibus, quæ ad Catholicam Christianorum Ecclesiam, in quibusq; ciuitatibus, aut aliis locis pertinent, &c.

*Opes Eccle-
siae multis
modis sta-
bilite.*

Quemadmodum vero Episcoporum est perpetua successio, ita bonorum, quorum Episcopi fuerunt dispensatores. Nec opus est plura de hisce adducere, cū omnia plena sint, non modo in iure canonico, sed etiam ciuili, quæ de ecclesiis, Episcopali audientia, c. 1. t. 7. de Episcopis & Clericis, & orphanotrophis, ex Xenodochiis, & pto-xotrophis, & asceteriis, & monachis, & de priuilegiis eorū, &c. Cod. i. t. 6. item nouell. 37. & 46. & 131.

*Oblationū
quatuor
partes. 1. E-
piscopi.
2. Cleri.
3. Pauperū.
4. Fabricæ.*

De expendendis videatur 12. q. 2. c. 27. Quatuor autem tam de redditu, quam de oblatione fidelium, prout cuiuslibet ecclesie facultas admittit (sicut dudum rationabiliter est decretū) conuenit fieri portiones: quarum sit vna pontificis, altera clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis applicanda. De quibus sicut sacerdotis intererit integram ministris ecclesie memoratam dependere quantitatem, sic clerus vltra regulatam sibi summam nihil insolenter nouerit expetendū. Ea vero quæ Ecclesiasticis adificiis attributa sunt, huic operi veraciter prerogata locorū doceat instauratio manifesta sanctorum: quia nefas est, si sacris aedibus destitutis, in lucrum suum præsul impendia sui deputata conuertat. Ipsam nihilominus adscriptam pauperibus portionem, quamquam diuinis rationibus dispense monstraturus esse videatur, tamen iuxta quod scriptum est (vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in celis est), oportet etiam presenti testificatione predicari, & bona fama præconit non taceri.

*Possessio cle-
ricorum
Hipponen-
sium inui-
diola.*

§. 6. Consulatur & August. tom. 10. 521. l. c. 2. & 748. c. 2. & 173. c. 2. editionis Antuerpianæ. Narrat in vita eius Possidius tēpore illo fuisse magnas Ecclesie possessiones. Pauperum vero semper memor erat, eisq; inde erogabat vnde & sibi suisq; omnibus secum habitantibus erogabatur, hoc est, vel ex redditibus possessionum ecclesie, vel etiam ex oblationibus fidelium. Et dum forte, vt ad-

solet) de possessionibus, ipsi inuidia clericis fieret, alloquebatur plebem Dei, malle se ex collationibus plebis Dei viuere, quā illarum possessionum curam vel gubernationem pati, & paratum se esse illis cedere, vt eo modo omnes Dei serui & ministri viuerent, quo in veteri testamēto leguntur altari deseruientes de eodem participari. Sed nunquam id laici suscipere voluerūt. Domus ecclesie curam omnemq; substantiā ad vices valentioribus clericis delegabat & credebatur. Nunquam clauem, nunquam annulum in manu habens, sed ab eisdem domus prepositis cuncta & accepta & erogata notabantur. Quæ anno completo eidē recitabantur, quo sciretur quantum acceptum, quantumq; dispen-satum fuisset, vel quicquid indispen-satum, vel dispen-sandum remansisset. & in multis titulis magis illius prepositi domus fidē sequens, quā probatum manifestumq; cognoscēs. Domum vero vel agrum seu villam nūquam emere voluit, Verum si forte ecclesie à quoquā sponte tale aliquid vel donaretur, vel titulo legati dimitteretur, non respuebat, sed suscipi iubeat. Nam & aliquas eum hereditates recussenonimus, nō quia pauperibus inutiles esse possent, sed quoniam iustum & æquum esse videbat, vt à mortuorum vel filijs vel parētibus vel affinis possessiones considerentur, quibus ab eis deficientes dimittere voluerunt. Quidā etiam ex honoratis Hipponensiu apud Carthaginē viuentē ecclesie Hipponensiu possessionē donare voluit, & consecratis tabulis sibi vñ fructū retento, vltro eidem sanctæ memoriæ Augustino misit: cuius ille oblationē libenter accepit, congratulans ei quod eterna sua memor esset salutis. Verum post aliquot annos nobis forte cum eodem cominus cōstituitis, ecce ille donator literas per filium suum mittens, rogauit vt illa donationū tabula suo filio redderetur, pauperibus vero erogandos direxit solidos centū: quo ille sanctus cognito, ingemuit hominē vel finxisse donationem, vel eū de bono opere penituisse, & quantā poruit Deo suggerente cordi eius dolenti animo ex eadem refragatione dixit, in illius scilicet increpationem & correctionem. Et tabulas quas ille sponte miserat, nec desideratas, nec exactas confessioni reddidit, pecuniamq; illam respuit, atq; re-scriptis eundem sicut oportuit & arguit & corripuit, admonens vt de sua simulatione vel iniquitate cū penitentia humilitate Deo satisfacere, ne cū tam graui delicto de seculo exiret. Frequentius vero dicebat, magis securus ac tutius ecclesiam legatā à defunctis dimissa debere suscipere, quā hereditates forte sollicitas & damnosas, ipsaq; legata magis offerenda esse quam exigenda. Commendata vero quæq; ipse non suscipiebat, sed volentes suscipere clericos nō prohibebat. In iis quoq; quæ ecclesia habebat & possidebat intentus amore, vel implicatus cupiditate non erat, sed maioribus magis & spiritibus suspensus & inhaerens rebus, vix aliquādo seipsū ad ista temporalia ab eternorum cogitatione relaxabat & deponebat. Quibusq; ille depositis & ordinatis, tanquam à rebus mordacibus & iam molestis, animi recursum ad interiora mētis & superiora faciebat, quo vel de inueniendis rebus cogitaret, vel de iam inuentis aliquid dīcāret, aut certe ex iam dictatis atq; transcriptis aliquid emendaret. Et id agebat in die laborans, & in nocte lucubrans. Erant itaq; Africanæ Ecclesie possessiones ad inuidiam magnæ, sed Augustinus, vt eam iniquam ostenderet, cedere paratus erat, & viuere oblatione plebis cum Clero, quod tamen illi non iudicauit expedire Reipublicæ, vel Ecclesie.

*Augustinus
possessiones
suscepit.*

§. 7. Rationes vero in conspectu sunt. Nullo modo conuenit moribus, aut religioni, vt præcipua pars Reipublicæ abiectissima sit, id vero futurū est, si nulla ratio status illius habeatur. Si antistites fidei, si doctores, quorum officium est cōsolari, docere, increpare, punire, supplices esse oportet contumelioso populo, & diuitum fastidiis: Deinde quotus quisq; cuius vita dependet ab aliena misericordia, eum à quo pascitur offendere audebit? Quis tam fortiter esse liber didicit, vt accipiendo beneficio, non sentiat venditam libertatem? Qui igitur inopes religionis præcones & antistites laudant, illi mancipia suarum cupiditatum, non strenuos morum cōsensores querunt. Tertio. Iubeatur esse hospitales Episcopi & prælati, at vero qui poterunt, benignitate alios allicere, si velut errones, & parasiti alienum rodere panem necesse habebunt? Quarto; Publicum dedecus est religionis

*Eos quiq;
hermano-
portet non
esse obno-
xios.*

gionis, eorum quicquid docent, contemptus, at vero paupertatem contemptus sequitur. Quicquid dicit pauper mendacium est, dicebat non nemo. Quia eadem verba, non ex eodem ore, non idem valent. Quinto. Paupertas Ecclesiarum ad varias artes, & illicitas aliquando impellit; animos, cum necessitate, non voluntate toleratur, deicit. Studia, zelumque animarum excludit. Sexto. Parentum, etiam piorum, hoc fere est desiderium, atque vnica sepe, nimiaque cura filiorum dignitati, & splendore ut consulant; Quis ex millibus sumptus in studia filiorum faciat, ut pauper totam vitam Euangelium predicet? Quis diuitum se co demittet, ut ad paupertatem filios educet?

Simagistratus de publico alio est, igitur & sacerdos.

Speciosum itaque hoc Evangelicæ paupertatis studium, omnem Christianæ religionis disciplinam euerit. Quod enim paucorum est, hoc in vniuersum clerum inducere velle insanum est; imo diuinis legibus repugnat, non esse in Ecclesia vnde ministri alantur. Septimo. Hanc ob causam venditiones bonorum Ecclesiasticorum vitæ sunt. Concil. Epau. c. 12. & donationes c. 17.

Religio si temporalibus commodis interduci egerit.

Nunc viri prudentissimi Gregorii Tolosani l. 2. Syntagmatis, c. 28. sententia hæc consignare placet. Et proinde, inquit, translata Ecclesia, Christiani didicerunt, persecutionibus agitati sepe infidelium, cultum Dei vix resistere posse sine temporalium auxilio, & proinde in posterum non omnia oblata vendenda esse, sed in Ecclesia conservari voluerunt: ut sedatis persecutionibus, prædicia Ecclesiastica oblata & Deo consecrata, auxilio essent cultui diuino. Neque etiam omnes basilicæ vel templæ, ubi exhibetur cultus diuinus, decimas habent, sed tantum parochiales Ecclesiæ: quare oportuit & alia bona Deo consecrari, quibus qui ibi Deo continue inferirent, alerentur, permittuntque est ideo publice à Constantino Magno Ecclesiæ hereditates relinquere, & sana extruere. Neque enim propter nouas Ecclesiæ prioris Ecclesiæ decimæ sunt subducenda. Et ita probe statutum, ne post hæc sacra ades edificarentur sine conueniente dote, quia suos Leuitas possit nutrire. Statuit tribus constitutionibus Emmanuel Comnenus Cæsar orientis, ut Ecclesiæ & monasteriorum bona immobilia, intacta sint à manu fisci, siue cum titulo, siue sine titulo possideantur, quodque nulla aurea confiscari. Id ipsum sancit Alexius Comnenus secundus alius orientis Cæsar. Iubet Theodoricus Gothorum rex, scribens Iba viro spectabili duci, possessiones Narbonensis Ecclesiæ, secundum Alarici præceptum à quibuslibet peruasoribus occupatas, etiam manu militari restitui. Idemque Adila scribens, specialiter, inquit, Ecclesiæ ab omni iniuria reddi cupimus alienas, quibus dum æquibilia præstabantur, misericordia diuina acquiritur. Et anno Domini 1099, bellum in eos susceptum est, qui sacerdotum ecclesiarumque fundos inuasent: apud Parisios, Bocchardus à monte Morentis; apud Bellouacens, Dicus Montiacus; Rhemis, Elbo Rosiacus; apud Aurelios, Leonetus Magdunensis; alique in locis à filio Francorum regis Ludouico, & Roberto Flandrensi comite viti subacti sunt, & ecclesiis sue res quæ in sua potestate erant, & ad ecclesiæ sub manu ipsius regis constitutas pertinetes, reddere rectoribus ipsorum venerabilium locorum monitis per legatos recusarunt, bellum mouit: & contra illis vndique copiis Aquitaniam ingressus, bello se res & iustitias ecclesiarum exacturum pronuntiavit, & ita coegit imperata facere.

Ecclesiæ manu militari restituenda.

CAPVT XLIII.

Contra Ecclesiarum diuitias quæ obici solent.

Imidia Ecclesiæ opes facit maximas.

S. 1. Cio multos, inquit Gregorius Tolosanus l. 2. Syntag. c. 28. rebus Ecclesiæ inuidisse, & sibi magis quam Deo, piorumque rebus male; ideo & profana quadam exempla in sua improbitatis auctoritatem contorxisse, & pietatem quandam pro fūco obiecit.

Quid igitur illi qui neminem præter se diuitem esse patiuntur? Primo Christum Iesum Dominum

nostrum pauperem fuisse Paulum manibus laborasse, victitasse. Eo exemplo omnes Ecclesiasticos viuere oportere. Secundo. Ex diuitiis luxum ortum & superbiam. Tertio. Opes curam & sollicitudinem requirere, Clericos expeditos ad Dei seruitium constitutendos.

§. 2. Optandum sane eos esse plurimorum in virtute progressus, rerum humanarum contemptum, ut non modo Dei præcepta, sed consilia etiam amplecterentur, sed quia tanta virtus paucorum est, non præcepit, sed suauit Dominus. Exemplo præiuit, inuitauit, non coegit. Castitatem laudamus, nec tamen optamus in orbe Christiano nulla esse matrimonia, alioqui qui caste viuerent, nasci non possent. Itaque assero fidenter, Christum Dominum quamuis ubi caput reclinaret, non habuerit, non tamen Ecclesiæ suæ, aut ministris eandem legem præscripsisse. Sed fastigium perfectionis ostendisse, quod aliqui ascendere contendunt, cæteris vsum rerum suarum reliquisse. Cum enim sciret non omnium esse viam illam paupertatis asperam, sed diuitiarum prædicia multos retinere, noluit Ecclesiæ suæ aliter instituere, quam ut inter homines, conueniebat. Itaque Episcopos, aliosque nisi illis auxiliis, & ut ad populorum gubernationem voluit, satisque habuit, si mente supra diuitias essent, quemadmodum Abraham, Isaac, Dauid non obfuerunt opes, sed incitamenta & instrumenta ad bene agendum, & liberalitatem. Alioqui Christi Domini paupertas, cæteraque, quæ fecit, omnibus Christianis ad imitandum proposita sunt, non solum Clericis, cur igitur hosce solos pauperes volunt esse: an solos quoque castos, sobrios, iustos, veraces? Christus vitam pauperem egit: imo etiam Apostoli: sed tamen qui ibi pauperem victum, cultumque elegit Deus, ministris suis veteribus dixit: Omnem medullam olei, & vini, ac frumenti, quicquid offerunt primitiarum Domino, dedisti tibi. Num. 18. 12. Idem quoque noui testamenti sacerdotibus promittit, fore ut reges sint nutriti eorum; Apostolorum etiam, si iniquitatem temporum spectes, fuit ea paupertas, quæ tamen ex Euangelio viuere permitteret. Non prohibuit Dominus ut diuitiis quas ipse non habuit. Quamquam hæretici qui maxime offendunt nostrorum Episcoporum famulatio & comitatu, id in suis probant. Adrianus de Sarauia, de honore Episcopis, & presbyteris debito. c. 29. Præterea, comitatus Episcoporum, & trepitus famulorum, non parum offendit quorundam oculos, quod similiter in ea re, duces & comites regni videantur imitari. Resp. hanc orationem probant esse popularem & vana specie simplicium animis illudere. Nam hoc audeo asserere, comitatum Domini & Apostolorum tam honoratum fuisse, quam esse potuit, pro ratione temporis, & rei, ob quam in hunc mundum venerat: honoratior futurus, si Deus seruandi genus hominum aliud consilium probasset. Nam in suam familiam vltro 80. viros ad iunxerat, qui eum comitabantur quocumque ibat, aut præcedebant, quo erat venturus.

Paupertas singulis commendata, sed non imperata.

Christi famulatio pauperem egit: sed tamen diuitia concessa.

Hæretici Episcoporum & comites regni videantur imitari.

Et in Epist. dedicat. pro diuersis ministris gradibus. Antistites Cuiusmodi societatem Evangelicæ doctrina non perturbat, nec eorum quæquam, quod ad eam seruandam pertinet. In qua cum viuunt ecclesiarum pastores, ab eis rebus alienos esse, quibus rebus resp. pub. aut oratur aut defenditur, nusquam Domini præcepit. Honoris autem gradus diuersi, sunt necessario ubique constituti, ditur, non conferuanda societatis gratia: inter quos qui visi sunt possedari Episcopis, cum vtilitate Ecclesiæ & republica, eos maiores nostri dederunt: & ut inter procures reipub. conferentur decere iudicant. Qui certe honor etiam & rogatus iurisconsultis, qui iuridicando præsent in curiis cum tribuatur: sacrorum & religionis Antistites habere semper omnes gentes equum esse censuerunt. Vnde etiam sit consequens, ut eum comitatu habeant & famulitium, qui ex usu & consuetudine à sobriis & modestis proceribus haberi solet. Quid hic sit quod naso suspendant aduocato homines aut rerum humanarum ignari, aut certe nimium morosi, non video.

§. 3. Lu-